



PER-ILLUSTRIS DOMINE,

QVod rarius, & vix uni alterive in Familia, nobiliori quamvis, solet contingere, ut nempe vel Reipublicæ Statorem, aut Herculem Musagetam ferat, id sane TUA Genti, PER-ILLUSTRIS DOMINE, comprobante per aliquot Secula experientia simul & invidia, toties accidit, ut istud ipsi jam veluti proprium cum paucis admodum videatur. Tot etenim TUA per Germaniam, quidni & Europam? decantatissima Stirps in Ecclesiæ purioris augmentum, Religionis stabilimentum, Electoratus, Ducatusque Saxonici splendorem, Reipublicæ commodum, Germaniæ tranquillatem, Seculi gloriam protrudit Germina, ut habeat Misnica Nobilitas, quibus se jactare possit, ac exterarum Gentium floribus fiducia victoriæ opponere. Obversantur etenim oculis, ac tantum non mentis præstringunt